



CLASSIS SECVNDA.
ANIMALIVM PRAEPA-
RATIONES CHEMICAE.

Spiritus, sal, et oleum cornu cerui.

℞ Cornuum cerui in frustula confractorum
q. v.

*Indantur ollae ferreae capaci cum capitello ter-
reo, et, adaptato recipiente amplo, iuncturisque
lutatis, instituaturn destillatio per gradus in igne
aperto. Ascendit primo phlegma, tum spiritus,
postea sal volatile cum oleo primum flavescente,
dein, protracta destillatione, rubescente ac ver-
gente ad nigredinem. In fundo remanet cornu
nigrum, quod, igne aperto exustum ad candorem
vsque, dicitur cornu cerui calcinatum.*

*Omnia e recipiente effusa hoc modo separan-
tur.*

*Oleum a phlegmate et spiritu separatur fil-
trando: haec enim transeunt, oleumque in charta
relinquunt.*

*Spiritus a phlegmate separatur destillando ex
alto vase, leni igne: ascendit spiritus, manente
phlegmate.*

Spiritus

Spiritus in salem et phlegma diuiditur, si ex alta admodum et angusta cucurbita fiat sublimatio. Sal siccus adhaeret capitello, phlegma in fundo relinquitur.

Sal ab oleo secernitur, si cum cinerum clauellatorum duplo fiat sublimatio, retinetur quippe oleum, sale in sublime raptum.

Spiritus quoque purior obtinetur, si singulis libris addantur cinerum clauellatorum unciae duae, et destillatio fiat ex retorta vitrea. Cineres, aperto igni expositi, expulso oleo, purificantur.

Spiritus, sal, et oleum ex quibuscunque animalium partibus solidis eodem modo destillantur.

Sal ammoniacum.

aliunde ad nos adfertur.

Spiritus salis ammoniaci.

*Rx Salis ammoniaci,
tartari ana p. aequ.*

Separatim trita et mixta iniiciantur in retortam vitream. Affunde paullatim

*Aquae fontanae q. s.
ad soluenda salia.*

Fiat destillatio per gradus ex arena, donec sal in recipiente concretum a destillante humore soluat, cauendo ne diutius protrahatur destillatio. Si subducatur recipiens antequam ascendat humor, obtinetur.

Sal ammoniacum volatile.

Flor

Flos salis ammoniaci.

℞ Salis ammoniaci sicci triti q. v.

Indatur cucurbitae terreae, cui adaptato capitulo caeco, fiat sublimatio florum igne sensim aucto.

Spiritus Mindereri.

℞ Salis ammoniaci volatilis q. v.

Paullatim instilla, subinde agitando,

Spiritus aceti q. f.

i. e. donec cesset effervescentia.

Oleum cerae.

℞ Cerae flavae q. v.

Lique scat cum

Arenae duplo.

Immitte retortae, et destilla ex arena. Exit primo liquor acidus dein oleum crassum collo retortae adhaerens, nisi, carbone viuo admoto, caleat. Rectificatur in oleum tenue, si aliquoties destilletur per se ex arena.



CLASSIS.